




*The Gift of
The Associates of
The John Carter Brown Library*

LGL

350-



L. D. B. V.

DISSERTATIONUM
HISTORICO-GEOGRAPHI-
CARUM EXOTERICA-
RUM
De

NOVO ORBE,

PRIMA,

Quam

Consensu Amplissimæ Facultatis
PHILOSOPHICÆ in Illustri
Salanâ

M. DANIEL ALBINUS

Slesvicensis,

et

HEINRICUS NIEMANNUS

Holsteinius,

ad a. d. XI. Kl. Febr.

*H. LCq; consvetis
publicè disputabunt.*

ANNO PERIODI JULIANÆ.

MDCLCCCLXVI.

J E N Æ

Expresste JOHANNES NISIUS.

ANNO M DC LIII

S. T. N.
DISTRIBUTION

HISTORIC GEOGRAPHY
CARUM EXOTERIC

NOVO ORBIS

PRIMA

Geographia Antiqua et Moderna

LIBER PRIMUS

1612

M. DANIEL ALBINUS

Geographia

1612

HEMERICUS MANNING

1612

1612

1612



בנכורת השם ;



*N*tra tempus clausi maris per vastum oceanum Novum vestigamus orbem. Athenienses eo, quo oritur Arcturus, tempore ut plurimum navigationis sua desinebant, domumq; redibant. Boëdromion enim Romanorum septembri respondens, quo fere Arcturus oritur, navigationum Atticarum terminus: ideo ab eo mense Mu-

nichionem usque, i.e. Martium, quo iterum se committiebant pelago, in urbe desiderabant, litesq; disceptabant, uti constat ex Demosthen. in $\omega\sigma\sigma\epsilon\alpha\Phi\eta$ adversus Apaturium. Conf. Cl. Salmas. de mod. usur. c. V. Gratianus Imp. ming tutam consuisse navigationē fertur à KL. Octobr. ad KL. April. FL. tamen Vegetius de R. M. l. IV. c. 31. tempus maris clausi intra angustiores coërcuit limites: Ex die, ait, III. Id. Nov. usque ad VI. diem Id. Mart. maria clauduntur; nam lux minima, nox prolixa, nubium densitas, aëris obscuritas, ventorum, imbrium, vel nivium geminata favitia, non solum classes à pelago, sed etiam commeantes à terrestri itinere deturbat. Hæc fere ratio navigationis veterum Græcorum & Romanorum: quorum tamen instituta forsitan nec Tyrii nec aliæ navigationibus magis adsuæ gentes ita sanctè observasse notum est. Edictum, quod vulgo circumfertur, Gratiani inter LL. uti vocant, civiles vix reperies; in quibus, licet aliqua fiat temporis, quo maria claudi videbantur, mentio, definitum tamen frustra quaesiveris. Vid. l. 6. civit. Cod. de offic. rect. Provinc. & l. 122. qui Roma S. Callimach. de V. O. unde nec Gratiani decreto tenemur. Institutum Atheniensium, consiliumq; C. Politani Comitum excusat seculum, quo vix, præter internum, navigabat mare, in quo intra tempus clausi maris hæc incommoda navigantes maximè urgebant, imo præter alia eadem experti in ipso septentrionali oceano, qui cum Jac. Hemskerchio & Guilielm. Barendsonio Ao XCVI. & XCVII. superioris seculi, ne adeò solis astu & Africano aëre,

aëre, qui ab occidentali litore gravis infestusq; vexarentur, Nam
 per mare hyperboreum in Sinas & orientales Indias frustra tentarunt.
 Metegan. Rer. Belg. libr. XVIII. Borum igitur mare navigantibus
 infestum, uti pridem monuerat Scaliger Exerc. XXXI. II quem
 si audivissent Batavi, navigatione ista in irritum super sedere potuis-
 sent. Sed nec omnis Septentrionalis oceanus tam rigidum in classes
 exercet imperium: totus litoralis Norvegie tractus mitis, mare
 frigore non constringitur, nec diu nives durant, si credimus Ortelio
 Theatr. Orb. p. 97. Reliquus vero oceanus intra clausi maris spatium
 feliciter navigatur: eo enim ipso tempore Ferdinandus Magellanus
 Lusitanus, infra nobis pluribus dicendus, Anno superioris seculi XX.
 Caroli V. auspiciis fretum, & mare à se Magellanicum dictum de-
 texit: Johan. Lerus cum Nicolao Durantio Melitensi equite aliàs
 Villagagno dicto auspicio fortissimi istius Admiralii Colivii Gallià
 Anno cIo LVI. ad XIIIa. KL. Dec. solvit, in Brasiliam XIII. KL.
 Mart. delatus. Taceo Nobiliss. Francisci Drakei Angli Anno
 cIo LXXIX. & cIo LXXXV. Olivier de Nort Anno cIo Lxxvii.
 & cIo lcci. Jacobi de Mabu Anno cIo LXCIX. Jac. le maire Anno
 hujus seculi XVI. notissimi à sui nominis fretò, aliorumq; immarta-
 litato dignissimorum heroum expeditiones maritimas, adeò, ut affir-
 mare ausim plerasque omnes navigationes in mari di India, del Zur,
 di Ethiopia, imò quassdam in ipso mari del Nort intra clausi maris
 spatium, uti ex historiis constat feliciter expediri, quas referre hujus
 scriptura non capit modus, faceq; & viatico opus foret ad tam diffu-
 sa narrationis iter: hæc tamen pauca infra de oceani navigatione
 exponendis lucem feneratorum adferre in rem duximus. Recentia-
 rum igitur exemplo periculorum securi

Juvat immensæ fines lustrare profundi,

Perq; procellosas errare licentius undas,

confectòq; 10000 circiter milliarium itinere per continentem s. uti
 hodie vocant, firmam terram potissimum meditationes circumferre.
 Impeditum sanè aggredimur opus, facundia minimè capax; plu-
 rima hic ex gentium locorumque nominibus, si uspiam alibi, sat
 barbaris constant, & perplexo fatis ordine: quæ persequi longa
 & difficilis magis, quàm benigna materia, quemadmodum Pom-
 pon. Mela in p̄fat. Libr. de Situ orbis de Geographiâ veterum lo-

775
quitur. Difficultatem agnoscant summi Viri, Arias Montanus, Vatablus, Pererius, Postellus, Possevinus, Gomarus, Job. Acoſta, Fullerus, & noviffimè Grotius, Latius, Hornius, aliq; summa eruditionis viri, inprimis quod originem Americanarum attinet gentium: aded ut etiam Anno hujus seculi IV. Petr. Cottonus Jesuita Parisiſi hanc in rem subsidium ab ipſo Diabolo petierit, ut infra ad verſus Forerium Societ. Jef. ostendemus. Verùm hæc difficultas tanti non fuit, ut tentatas curas, & cum eruditis de re difficili conferendi exercitium poneret. Quamvis enim plerumque altis & excelſis adiaceant abrupta: tutius per plana sed humilius & depressius iter, frequentiorque currentibus quàm reptantibus sit lapsus: his tamen non labentibus nulla laus, illis nonnulla etiamſi labantur, judicio Plin. l. IX. Ep. XXV. Facile devorabimus obvium in hac materiâ cædium, si non minus æquos quàm doctos habuerimus censores: qui, sicuti in his labi pronum est, comiter viam monstrant errantibus, videnti, quam vel provectior merebatur, atati veniam concedant, meminerintq; hæc ipsa in parergis nos poſuisse. Verùm ad rem, cujus restibilis satis fecunditas: si prius Deum O. M. supplice convenerimus voto, ut meditationibus nostris suâ intervenire dignetur gratia.

§. I.

Novi orbis nomine intelligimus eam partem orbis terrarum sive regionem, quæ ab septentrionali ad Magellanici maris fauces longis ac plurimum etiam latis spatii porrigitur: quemadmodum eo vocabulo, ubi antefesquiseculum innoruit, usi videntur, qui hoc ipsi nomine indidere, nondum cognitâ terrâ Australi adhuc hodie, si litora excipias, incognitâ: quæ enim interius versus polum arctico oppositum & quantum pateant nemini, quod sciam, exploratum. Alii verò latius eo vocabulo utuntur, & non tantum ad eam partem, cui nos hoc nomen Castilianorum exemplo tribuimus, verum etiam ad terram Magellanicam extendunt, imò ad partes quasdam, quæ circa polum boreum adhuc dum hodie non satis lustratæ. Nec absurdus fuerit, qui quicquid terrarum veteribus incognitum, novi orbis nomine appellaverit: quamvis de istis ter-

ra, quæ nuper cognita existimantur, partibus, exceptâ Americâ, præsentî disquisitione parum sumus solliciti.

§. 2. *Orbis* dicitur, quia ἀξίολογος μέγεθος immensoque continetur ambitu, adeo ut par aut certè suppar sit Africa & Europa: si verò Magellanicam adjeceris eaque ad polum usque antarcticum continens fuerit, tres illas Veteribus cognitâs orbis partes facîle amplitudine, si non superat, certè æquat. Quamvis autem ἀνεγλογία in vocabulo orbis reperitur, quia tamen usum obtinuit, ab eo, non erat, ut recederemus. Orbis, uti constat, nonnunquam idem, quod circulus, s. figura peripheriâ undique terminata: interdum verò orbis, solidum dicitur rotundum, s. figura solida, cujus superficies in se recurrens ab uno puncto intra posito undique æquidistat; qualem describit circa axem suum motu in se recurrenti circulus: Unde patet, neutro modo partem orbis dici posse orbem propriè & accuratè si loqui velis: sæpius tamen ita sumi nemo est, qui nesciat. Eadem ratio est primi meridiani, qui in circulis ponitur, cum tamen pars circuli sit, & in utroque polorum desinat, sive per Insulas Fortunatas juxta veteres, sive per Azores juxta recentiores plerosque, sive per Ins. C. Verde, s. per Toletum Hispaniæ urbem juxta Hispanos nonnullos, s. per Huënam freti Danici vulgo Drefund juxta Tychonem ducatur: perinde enim est, per quæ ducatur loca: fallitur enim, qui cum Abrahamo Goos primum meridianum naturalem in insulis Corvo vel Flores esse existimat. Ex his igitur constare arbitror, quamvis primus meridianus in circulis, & in orbibus ponatur novus orbis, cum tamen & meridianus pars circuli, & novus orbis pars saltem orbis sit, impropriè loqui autores, cum hæc nomina meridiano & parti orbis tribuunt: neque enim pars circuli circulus, nec orbis pars, orbis est.

§. 3. *Novus* autem dicitur, quia vel veteribus planè incognitus, vel si cognitus, ita tamen oblivione sepulto putatur, ut vix de eo ante, quam à Columbo detegeretur per aliquot secula quispiam cogitaret, uti non obscurè colligitur ex præcis Platonis interpretibus, qui Atlanticam Platoniam allegoricè, & Marsil. Ficino, qui anagogicè exposuere. Veteres itidem *novi orbis* nomen Britannicæ tribuerunt, uti constat ex Turneb. Adversar. l.

XXIII. c. II. *Orbem* dicebant, quia insularum, quas Romana notitia complectitur, maxima, teste Tacit. Agric. cap. X. n. 2. & suffragante Diodor. Sicul. libr. IV. Bibliothec. p. m. 300. *ἡ ὄσι πῶλαι κατὰ τὸν ἀκεανὸν ὑπερχοσαν, ὡν ἔτι μεγίστη βρεταννικὴ καλεσμένη*: *Novum* vocabant, quia serius in notitiam Romanorum pervenit, sub Jul. Casare, qui eam primus omnium Romanorum eum exercitu ingressus, insulamq; potius ostendit tantum, quam potestis tradidit, ut loquitur Selden. Mar. Claus. l. II. c. 3. Falluntur autem, qui eam insulam esse, demum sub Tito innotuisse Agricolaemque id primum Romanis adfirmasse existimant, Cluv. Epit. Hist. p. 291. b. idque ex male intellecto Taciti loco *in vita agricola* l. c. Verba Taciti sunt: *Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta, insulam esse Britanniam affirmavit &c.* ex quibus nihil aliud colligitur, quam sub Domitiano primum circumnavigatam fuisse insulam, & tunc primum illud novissimum mare ab illis cognitum: nihil verò de eo, utrum primum tum Romanis cognita fuerit insula sub ratione insulae; Diodorus Siculus certè, cujus verba modo adducta, & Strabo l. IV. Geogr. insulam expressè vocant; quorum aetas in tempora J. Caesaris & Principatum Augusti incidit. Illustri quoque apud Josephum locus libr. II. de Bell. Jud. c. XVI. exstat in oratione Regis Agrippae Judaeos ad obediendum Romanos adhortantis: *Confidete Britanorum muros, qui Hierosolyma confiditis muris: illos siquidem circumdatos oceano, & pene non minorem, quam noster orbis est, habitantes, Romani navigantes redegerunt in ditionem suam: quatuorq; legiones tantae magnitudinis insulam tuerunt.*

§. 4. Novus autem hic, in quo nostra occupatur cura, orbis aliis India occidentalis: aliis America: aliis Atlantica: aliis Columbina appellari consuevit. *India occidentalis*, West-Indien Belgis communiter dicitur. *India* quidem, quia vel eodem fere, quo India orientalis superato per Guasconem Gama Lusitanum promontorio Tormentoso, quod à Johanne Portugalliae Regè quasi ad optatas orientis opes, & Asiatica emporia Lusitanis digitum, pene intendere videretur Maffei. H. I. l. 1. p. m. 18 *Cde Bona Esperace* s. *caput Bona Spei* dictum, detectus fuerit novus hic orbis: vel quod utriusque incolis similis ac pene eadem vivendi ratio, ut infra

ostendetur: vel, quia ab orbē nostro & cognitione remotior, qualis est India: exemplo veterum Poëtarum, qui, ubi de regionibus à nobis paulò longius orientem vel meridiem distitis verba faciunt, ad Indos suos, Gangen & Hydaspem decurrunt; versus septentriones verò positas parumque sibi cognitās, Thulas vocare solent: eadem ratione etiam nostræ ætatis homines omnes regiones insulasque parum cognitās vel longè distitas, Indicas, non sine errore, vocare solent, uti monet Ortel. in Parergio de Ins. Britannicis; quamvis error vix esse videatur, si quemvis locum remotiorem & parum exploratum Indiam vel Thulen, vel etiam alterius regionis longè distitæ nomine dixeris, per synecdochen eam, quæ vox individui pro nomine speciei usurpari non est insolens. Alii tamen ita dictum arbitrantur novum hunc orbem, à Colombo, quod, cum ad Insulas Principes, quæ Hispanis dicuntur de Barlavente, appulisset, in Indiam orientalem & Japonem, quæ M. Paulo Veneto Zipangri (non verò ut alii pervertunt, Iipango) dicta Catajæ & Sinarum regno opposita est, l. III. itinerar. c. 2. p. m. 115. edit. Reineccianæ, se delatum nō sine errore crediderit. *Occidentalis* autem quia nobis Europam incolentibus versus occidentum solem opponitur.

§. 5. Nec minus frequens nomen *America* est. Ita autem denominatur ab Americo Vesputio, Florentino; hinc eleganter Joh. Witten.

Primus in ignotum penetravit Americus orbem
Inventamque suo terram de nomine dixit.

Non autem, uti constat, primus Vesputius, sed Columbus eam detexit: Americus enim demum anno XCVII. sec. XV. partem novi orbis æquidiali propriorem, Pariam Provinciam invenit.

§. 6. Inter Autores verò non satis convenit *cujus auspiciis Vesputius novum orbem adierit hoc ipso, quem diximus anno 1492. 1497. id autem scire interest. Hispaniæ Regum auspiciis eò navigasse certum est. Seculo verò XV. præcipitante Hispania olim in XV. divisa, regna, ad duas redierat familias, quarum quidem opes maritimæ formidabantur, Arragoniam & Lusitanam. An verò Castiliæ, an verò Portucaliæ regis auspiciis Indias occidentales illustraverit Americus dicto anno, in diversa autores*

275
abeunt. Thuanū in principio, Historiæ suæ pro Castilianis adduci-
mus: *Ferdinādus Isabella auspiciis sexennio, vel potius quinquennio*
post Columbum Americus Vesputius Florentinus terram illam trans-
æquinoctialem lineam, quam à suo nomine Americam dixit, ex-
ploravit. Eadem ferè habet Ludovicus Gotfrid in Historiâ Anti-
podum ante annos hos XXI. Francofurti edita, & à Matthæo Meri-
riam typis æneis ornatâ part. 2. p. m. 216. ubi de navigatione Ame-
rici agit: cum eodem facit Autor Hist. Americæ, quam ante
Lannos edidit gener Meriani Theodorus de Bry, part. 2. pag. 2.
Consentiunt Cluver. Epit. Hist. p. m. 685. a. & Bucholzer. in Indi-
æ Chronolog. ad ann. c10 cccc xcvii. ubi inter alia: America in-
venta, sortita nomen ab Americo, ejus primo exploratore, ex
mandato Regis Castiliæ. Auspiciis igitur Castellæ Regis Ame-
ricum in novum navigasse orbem consentiunt laudati auctores:
in quibus tamen desideres Bucholzeri fidem: siquidem Colum-
bus prior Americam adiit, Hispaniaq; III. Aug. anno c10 cccc xcii.
solvit, Vesputius verò demum c10 cccc xcvii. 20. Maji. classen-
ia novum expedit orbem.

§. 7. Pro Lusitanis faciunt, quæ habet Petrus Montanus (ita
enim vocatur in Atlante minore Gallicè anno c10 lxxvii. à Judoc.
Hondio edito) in descriptione Americæ ad Tab. Mercatoris:
ibi enim contendit, *Americum huc auspicio Regis Portugallie, an-*
no c10 cccc xcvii. ivisse, factiq; premium retulisse, quod totus tractus
de nomine ipsius appellationem habeat. Eadem sententia est Joann.
Antonii Magini, Mathematicum quondam Bononiæ Professoris
Geogr. volum. II. p. m. 279. Cluverii, Introd. Geogr. libr. VI.
cap. XI.

§. 8. Münsterus utrumque concedit; Anno c10 cccc
xcvii. à Ferdinando Catholico: anno verò c10 lxxi. ab Emanuele
Lusitano huc missum Vesputium; libr. V. Cosmogr. p. 1423. cui,
etiã si eum Historici & Geographi officium sapius perfunctoriè
obiiisse, sublestæque postularum fidei non ignoremus, nos ac-
cedimus: Negamus enim anno c10 cccc xcvii. Vesputium au-
spiciis Portugallie Regis Novum lustrasse orbem. Constat ex
Massejo libr. I. & aliis jam tum anno XCIII. Seculi XV de ade-
unda occidentali India controversiam inter Ferdinandum Ca-
tho-

atholicum & Johannem Lusitanum sopitam fuisse, disceptatore totius controversiæ Alexandro Papa VI. qui cognitâ Regum. causa ultra Hesperidum Insulas ad cccxl. ferè leucam ducto à septentrionibus ad australem polum circulo, totum terrarum. orbem ex æquo bifariam secuit: Quæ pars vergebat in orientem, hanc Johannes factâ ei ob juris antiquitatem optione desumpsit, occidentuà Ferdinando relicta: postea anno clò cccxciv. terminus occidentalis ad cccLxx. leucas prorogatus versus occiduum solem: nec quicquam deinceps de termino moto, quod quidem Indiam occidentalem atinet, controversum fuit. Conf. Laërtium Cherubinum Bullar. Tom. i. p. 393. Ovied. l. 2. Hist. Indic. Gomara Hist. general. c. xcix. seqq.

§. 9. Séd, inquires, postea tamen, uti certo constat, neque nos negamus anno clò lvi. Americum accessisse Brasiliam auspiciis Lusitani, salvo tamen jure, quod in eam Castiliæ Regi videbatur ex Bullâ Alexandrinâ competere. Ad hoc reponimus, nunquam Lusitanos Brasiliâ prohibitos, cum intra terminum. Portugallis in Bullâ definitum contineatur: si enim primus meridians per Insulam del Cuervo s. corvorum ducatur, litora. Brasiliæ maximam partem in hemisphærio orientali comprehenduntur: litora autem Brasiliæ tum adiit Vesputius Lusitanorum auspiciis, quo titulo eadem adhuc hodie sibi vendicant Portugalli: interiora enim s. mediterranea Brasiliæ Barbaris hodieque possidentur, nec à nostris perlustrata, uti ex historiis constat. Ortelius in Theatr. orbis Tab. I. & V. orientaliore Azores, quam par erat, locavit; cui aliàs non infrequens turbare locorum situs; fidem faciet vel unica Asiæ tabula in Theatro: & in parergo Magna Græcia, in quâ perpetuos exhibere eam errores dudum advertit præstantissimus nostri ævi & omnium longè nobilissimus Geographus Philippus Cluverius Præfat. in Germ. Antiq. Videantur interim pro sententiâ nostrâ curatissimâ & exactissimâ Gerardi Mercatoris tabulæ.

§. 10. Tractus verò Americæ, quem anno clò lxxvii. lustravit auspicio Ferdinandi Vesputius, totus extra hemisphærium occidentale, prout in Bullâ Papæ & conventionione Regum definitum fuerat, sitq; est: unde ab eoracebantur religione pactorum

conventorum Lusitani : sed de his inferius pluribus, ubi de jure Regum Hispaniæ in Indias occidentales agendum.

§. 11. Verùm tantum de nomine America: Crebrò quoque *Atlantis* sive *Atlantica* dicitur, ab Atlantide istà immensa insula, de quâ Critias apud Platonem in Timæo vñs Ⓞ, ait, ἀμαλιεὺς ἢ νεὴ Ἀσίας μετὰ τὸν. Insulam, ait, Lybiæ & Asiâ majorem atq; ampliozem : è qua ad alias insulas facilis esset trajetibus, ex insulis verdè illis ad eam quoque continentem, quæ è regione sita est, & in illo quidem mari quod proprio & peculiari nomine Pontus nuncupatur &c. Quæ narratio utrùm conficta, uti visum Acoftæ l. 1. Histor. N. O. c. XII. an vera, uti creditum Hornio l. c. neque confirmare argumentis, neque refellere jam in animo est, uti Taciti nostra faciamus : dabitur tamen ea de re disquirendi occasio, ubi tangenda quæstio, utrum novus hic orbis veteribus cognitus fuerit.

§. 12. Alii, pauci tamen, in quibus præcipuus Fullerus Miscellaneor. Theolog. libr. II. cap. IV. *Columbinam* appellant, à primo ejus inventore, de quo mox plura.

§. 13. Hispanis, ut ex Acofta l. c. & titulo Regum Hispaniæ colligere est, nonnunquam *Terra firma* maris oceani vocari consuevit, quamvis terræ firmæ nomen parti quoque tribui indicio est, quod Terræ firmæ merces ab Hispaniæ novæ opibus distinguantur, apud Meteran. Hist. Belgic. libr. XXIX. p. 752. a. Verba tituli regis Hispaniæ inter alia habent ita : *Rey &c. de las Islas y Terra firma del mar. oceano*, i. e. quemadmodum habetur in Titulo Caroli V. apud Goldast Politischer Reichshandel part. 1. p. m. 43. *Rex &c. insularum, & terre firme maris oceani*: vel ut habent Germanica ap. Meteran. libr. xxviii. in exemplo mandati Philippi III. de ann. 1608. *König &c. Insulen und vest Land der Oceanischen See* / non verò, ut quidam hallucinari videntur, *Rex &c. Terre firme, maris oceani, König Terra firma, des Meers oceani*, in tit. Caroli V. apud Limæum l. P. libr. V. cap. II. §. 32. *der terra firme, des Oceanischen Meers* / apud eundem libr. V. cap. XIII. §. 3. quasi Rex Hispaniarum Oceani Regem se nuncupet: regem se vocat non ipsius oceani, sed insularum & continentis oceani f.

quod idem , in oceano positarum insularum & continentis, uti observatum etiam Seldeno Mar. Claus. libr. I. cap. XVII.

§. 14. Sed hæc de variis, & nisi fallimur, potissimis novi orbis nominibus sufficiant. Omnia adferre nec vacat, nec libuit: neque verò tanquam attrienses aut dispensatores apud herum rationes putamus.

§. 15. Cum verò Novus hic noster orbis totius terrarum orbis pars sit integralis, si ex quantitate, uti velle videtur, Montecatino Comment. in I. Civ. Arist. c. V. text. XXV. Totum verò non tantum naturam, verum etiam ordine cognitionis confusam attinet: notius sit nobis, quantum ad cognitionem confusam attinet. Philosophus autem doceat, à nobis notioribus incipiendum: ita enim I. Ethic. Nicom. II. *ἡμῶν δὲ κτὲν ἀπὸ τῶν ἡμῶν γνωρίμων*; pretium facturi videmur operæ, si prius, quam in rei veniamus, subsellium, de terrâ quædam, paucis tamen, monuerimus; quemadmodum factitari meminimus iis, qui partes orbis describere solent. Vid. Cluv. G. A. c. I. Heidmanni Palæstina cap. I.

§. 16. *Universum igitur hoc in medio mundi positum & figurâ sphericâ undiq; terminatum, terrâ mariq; distinctum unius terræ orbis nomine appellat Geographi, factâ à potiori denominatione, maximam enim terræ portio est. Quamvis enim longitudo & latitudo maris par aut suppar sit magnitudini telluris non oblectæ mari, si ex orbe cognito faciendum iudicium; vid. Alexander Picolominæus libr. de magnitudine terræ & aquæ, qui cum curâ dimensus est (Erroris enim manifestus est scriptor libr. IV. Esdræ, qui septimam terræ partem aquis nudam somniat: Scaliger autem Exerc. XXXVIII. contrarium errat errore, tertiam modò terræ partem esse extra aquas; cætera ejus mari premi) profunditas tamen, iudicio eorum, qui ætatem navigationibus trivere, rarò dimidium ultra miliare pertingit, si gurgites, aliquos exceperis, quibus ad miliare integrum se extendit, & pauca loca, ubi nullâ fundus bolide attingitur; quod ut plurimum circa Flandricas Insulas fieri, idemque expertos esse Hollandos circa aliquas Pacifici maris insulas testis est Vossius Idolatr. lib. II. cap. LXVII. Ex quibus colligere est mare, quamvis cum terrâ unum constituat globum, minimam tamen ejusdem partem esse.*

377
§. 17. *Hunc terrarum orbem oceano undiq; circumfundit*
plerique veterum existimabant, ut ex Strabone l. I. Geogr. Pomp.
Mela de sit. orb. lib. I. c. I. Autore libr. de Mundo c. III. & aliis à
Grotio de J. B. & P. l. II. c. XI. adductis liquet; imò recentiorum
nonnulli, qui Americam undique ab orbe nostro abscissam ac
magnam esse insulam contendunt; vid. Horn. O. A. l. I. c. XI. Clu-
verius Introduct. Geograph. l. I. c. XIV.

§. 18. *De divisione orbis diversimter se sunt Autores. Vete-*
res sibi cognitum alii in plures, alii in pauciores divisere portio-
nes. Plerique autem in divisione orbis terræ in parte tertiâ Afri-
câm posuere: pauci tantummodo Asiam & Europam. Salust. in bell.
Jugurthin. Existimabant enim Veterum nonnulli Europam
cohasisse cum Africâ; postea verò scissis utrimque Calpe & Abi-
lla montibus freto divisam fuisse: hinc Africam sub Europæ no-
mine complexi fuerunt, orbemque in duas æquales fere partes
divisere. Cohæsisse autem quondam Europam cum Africâ cre-
dant, qui terram Arsareth, quò X. tribus Israël's ex libr. IV. Esdr.
c. XIII. secessisse finguntur, in Asiâ, ut tutius fallant, extremis ad
Promontorium Tabin collocant; vide Ortel. Theatr. orb. Tab. C.
Alii veterum *Africam Asiâ adjecere*: alii verò in IV. distribuere
partes *Europam, Asiâ, Egyptum & Africam.* Conf. Cluv. G. A. l. I. c. I.

§. 19. Inter recentiores quoque de partitione orbis divi-
diæ sunt. Cluverus Introduct. Geogr. l. I. c. XIV. secutus eminentis in-
genii Geographum Gerard. Mercatorem, totum terrarum orbem
in tres potissimum partes, sive in tres magnas Insulas, quas ocea-
nus circumvagus (uti dicitur Horat.) efficit, dispescit: quarum *prim-*
am facit eam, *quam nos incolimus*: alteram *Americam*: tertiam
Magellanicam, quæ aliàs Australis incognita dicitur, cum quo facit
Bert. Brev. Orb. ubi de Periplo (i. e. insulari circuitu interprete
Ammiâ. Marcellin. lib. xxii.) nostri orbis agit. Verùm Asiæ extrema
versus septem triones loca nondum penitus explorata: ad novam
enim Zemlam, i. e. terram hominum substitit curiositas, & totus
ille à nova Zemla ad Japoniam usque & Sinensem murum ac Co-
reâram tractus, Europæis adhuc incognitus. Quod si verò Novo-
Zemlanæ Batavorum expeditiones in Sinas successissent, tum du-
bio procul posituræ Americæ & Asiæ extremæ innotuissent, uti etiam

iam monitum est Clariss. Hornio, Histor. ac Polit. in illustri Gledror. Academia P. P. Neque Tabulis Geographicis nimium credendum; quarum autores terminos Asia incertos definire, quam imperfectas edere mappas maluere; hic enim color rei incertæ paratur in Tab. universali forma quadratâ à Joh. Janfon. Anno 1703 c. xxvi. edita: cujus figuræ tabulæ, ut obiter hoc addamus, præsertim in maximis terræ partibus distantias & amplitudines locorum & regionum mirè corrumpunt & miscent. Secutus Cluverius videtur tabb. & incerta pro certis nobis tradidisse: hinc gratis viro summo non credimus, nisi vel ratione evidenti, vel experientia edocti fuerimus, orbem veterem vel Americam in insulis ponendum, quod de Magellanicâ concedimus.

§. 20. Montanus commentario ad Tabb. Mercatoris V. partes constituit, *Europam, Asiam, Africam, Americam, & terram australem*. Maginus volum. Geogr. II. p. 32. VII. ponit orbis partes. III. *Veteris satis famosas: I. Novi, sc. Americam septentrionalem, Meridionalem, Terram Australem & partem circa polum boreum*. Alii IV. *Asiam, Europam, Africam & Americam*, sub quâ Magellanicam complectuntur; partes verò circa arcticum ad Americam & Asiam referunt. P. Bertius Cosmographus Regis Galliarum Breviar. Orb. in VI. partes distribuit orbem: *Arcticam, Antarcticam, Europam, Africam, Asiam & Americam*: quam divisionem & nos amplectimur, licet aliorum non damnemus. In Arbitrio enim Geographi positum esse videtur, in quot partes hunc orbem dividere velit, dummodò ex non nimis multæ, *quandò enim majus est id, quod dividitur, tantò etiam grandiora fieri segmenta par est*. Strab. l. II. Geogr. vel incertis admodum definitæ fuerint terminis.

§. 21. *Nostrium hunc novum orbem*, uti ex hæcenus præfatis facile colligitur, non dubitamus ad *Africam*, si veteribus fuit cognitus, referre, utpote cui, secundum partem, quæ veteribus cognita existimatur, opposita & vicinior: viciniores autem insulæ continentis, cui adjacent, partes censi solent; veluti ad Europam Britannia, Ibernia: ad Asiam Taprobana: ad Africam Menuthias refertur. Existat in hanc rem locus apud Autor. lib. de mundo, qui vulgò Arist. creditur, c. III. *Τὰς νῆσους οἱ μὲν ἔξαιρέτως ποιοῦσιν: οἱ δὲ ἐπιθέμενοι ταῖς γείτων ἀειμορφαῖς.*

378
§. 22. Juxta recentiorum verò divisionē in nullā orbis ponitur parte, sed in illum ipsum veluti partem maximam dividitur orbis terrarum, ita, ut constituat partem à reliquis orbis partibus diversam.

§. 23. Monet autem Strabo Geogr. l. 2. in rebus Geographicis licet in partes faciendæ sint divisiones, dum singula persequimur, magis tamen imitandas esse sectiones totius in membra, quàm, quæ fiunt in partes. Differunt autem pars & membrum, ut latius & angustius. Pars enim quidvis est respectu totius: unumquodq; autem membrum uti pars totius, ita ipsum quoq; totum quoddam, & suos terminos proprios habet, quibus circumscribitur, si in hunc locum audiendus Guiliel. Xylander. Rationem autem hanc addit Geographus: Ex illis enim punctis, termini possunt sumi, quibus unumquodq; commodè circumscribitur, quæ res Geographo opus est. Eâ a consequetur, si definitè aliquid possit fluminibus, motibus, maris, gente, populi, magnitudine (ubi hoc licet) ac figurâ certâ circumscribere. Ubiq; a loco Geometrica præcisionis, simplicior ac rudior ratio sufficiet. Nam magnitudo satis videbitur expressa, si maximam longitudinem ac latitudinem dixeris. Quod egregium auroque contra eorum in Geographicis monitum hætenus accurati terræ descriptores sanctè secuti fuerunt, & nobis ab eo discedere religio est.

§. 24. Primum igitur de terminis, quas natura America: possuisse videtur, agemus. Totæ autem fere mari circumfunditur. Atlantico quidem, quantum ad litus orientale: Pacifico s; mari di-
victoria, quod occidentale latus attinet; versus austrum verò freto Magellanico; nisi cui placeat Terram del Fuego s; igneam ei adijcere, quam nuper anno xvi. hujus sæculi Wilhelm. Schouten. Belga intulam esse primus asseruisse creditur: terminus versus austrum extimus erit, super reiectum fretum le maire: quanvis illud tabulas Hispanicæ ante hos annos XXX. editas, aliasq; Venetas his ipsis viciiores signasse testetur Bertius, qui hæc anno clo lxx. xxv. scripsit, quâ fide, alii viderint.

§. 24. Dividitur itaq; à reliquis partibus maximam partem oceano: Ab Africa quidem Atlantico: ab Asia in quantum dividitur, Pacifico: à Magellanicâ freto Magellanico vel etiam Le maire: à septentrionibus Cronio, qui Atlantici pars est.

§. 25. Ante verò, quàm hinc ad alia tranſeamus, monendum, *Oceani Atlantici* nomen variè apud Autores accipi. Cluverius Introd. Geogr. libr. I. c. X. Atlanticum Oceanum intra *Oſtia Nigri fl. & Hispania promontorium Artabrum*, vulgo *C. de Roca*, coërcet. Quamvis hunc locum de mendâ habeamus ſuſpectum. Artabrum enim promontorium, quod ita Plinio ut & Cæſium, Ptolomæo & Straboni Nerium, Oroſio ſpecula Britannia dicitur, non videtur eſſe *C. de Roca*, quod vix in Hispaniâ reperies (*C.* quidem *de Roxent* occurrit, verùm in parte Luſitanix, & olim hoc promontorium dictum fuit magnum ſ. olyſſiponenſe) Exiſtimamus igitur promontorium Artabrum eſſe illud, quod hodie vulgo dicitur *C. de ſinis terræ*: & hoc *περὶ ἰσθμῶν* non Cluverio, ſed editori Joſeph. Vorſtio vel operis typographicis imputamus: Neque enim novum eſt ſcripta poſthuma, quale eſt hoc Cluverii, minus prodire caſtigata.

§. 26. Veteribus plerumque Atlanticum ponitur pro externo mari ſocæano, uti conſtat ex Strabone, Geogr. lib. xv. quando ait, *India orientale & australe latus in Atlanticum pelagus præcurrere*, i. e. ut hodie loquimur, in oceanum Sinenſem & Indicum. Ex Zoſimo, qui *Rhenum in mare Atlanticum ſe exonerare*, ait, quod, niſi de mari Germanico intellexeris, non magis verum erit, Rhæni oſtia eſſe in Oceano Atlantico, quàm oſtia Gangis eſſe in Oceano Sinenſi, uti erratum eſt in Tab. univerſ. Majori Hondii ann. X. hujus ſec. editâ, vel fontes Danubii in Pyrenæis eſſe montibus, uti olim contendit Ariſt. *1. μετεωρολογικῶν* c. XIII. quicquid etiam pro Ariſtot. conquirant malagmatis Rhenanus, Glareanus, & Helvetiorum doctiſſimus Guilielm. Stuckius Scholiis in Arriani Periplus Ponti Euxini p. m. 165. Suidas omnia *maria innavigabilia* Atlantica vocari autor eſt: qualia, præter congelata, hodie nulla dari docent maritimæ expeditiones. Cur autem Veteres vaſtum, quem diximus oceanum unius maris Atlantici nomine dixerint, hæc nobis videtur dari poſſe ratio, quod pleriq; eorū, ſi paucas narrationes eaſq; maximam partem fabuloſas exceperis, extra columnas Herculis ſupra Europam & Africam oceanum hunc Atlanticum nullo continenti, vel vaſtiſſimâ, qualiſ America, inſulâ dividi, ſed totum iſtum inter Africam & Aſiam tractum, occupare exiſtimaverint.

371
§. 26. Nobis *Atlanticum* dicitur *mare*, quod Europam & Africa occidentale litus alluit, & pars est veteris oceani Atlantici. Novo nostro orbe quasi divisi. Eodem modo sumitur Viro sui nominis Grotio Dissertat. F. de O. A.

§. 27. Cum verò inter Geographos non conveniat, quæ terra ex Arcticâ ad Americam pertineat, & ubi in septentrionibus terminetur: sit ne in immensum terrâ, & nostro alicubi annexa orbi; an freto vel mari abscissa, quæ situm hæctenus, & adhuc dubitetur: hinc *versus septentrionem limites Novi orbis maximè dubii sunt*, eruntque; donec industria vicerit naturam. Quamvis enim quidam Arcticam à novo se jungant orbe; non desunt, tamen: qui partes quasdam Arcticæ cum eodem conjungant.

§. 28. Groenlandiam, quam anno 1000 cclxxxii. primum aditam, ab Erico Rufo scribit Jonas Arngrimus Islandus cum Americâ septentrionali coherere: nonnulli existimant, & utcumque vasti sinus intercurrunt, fretum tamen hæctenus nullum, etiam si maximo quæsitum studio, inveniri potuit, ut ex Anglorum navigationibus constat, qui mare Groenlandense nondum piscatorias artes: passum singulari balænarum capturâ, patrum memoriâ, quæstuosissimum primo reddiderunt. Selden. Mar. claus. l. II. c. 32. Unde in tabulis recentioribus Groenlandia in insula expuncta, cujus situm miserè turbatum videas ap. Ortel. in Theatr. Tab. xcvi. Frislandia verò diu insula credita, ejusdem Groenlandiæ pars est. Vid. Joh. de Læet Not. ad Dissert. l. Groen. de O. A. Miramur autem virum doctissimum Grotium dubitasse, utrum Frislandia Groenlandiæ, an verò Islandiæ pars esset: cum Islandia dudum tota satis explorata, neque cuiquam vel leviter in Geographia versato, ut eam ad Islandiam ut partem referret, in mentem venerit.

§. 29. *Utrum autem cum Asiâ extimâs. Tataria cohereat novus orbis maximè controversum est.* Aliquo modo tamen Batarorum navigationes Zemlânge offendunt, eas freto alicubi dividi. Duplex enim in freto Nalsovico s. Waygats ætus; concurrentesq; occidentis & orientis undæ Linschorio observatæ, quemadmodum in Magellanico & Danico freto navigantibus evenire solet; teste Horn. l. III. O. A. c. IX. Franciscus Gualle Hispanus freto Tatariam & Americam dividi inde conjecit, quia *curfus maris Pacifici, quæ*

277

per CCC M. passuum dumvit circiter CC M. passuum à Nova Hispania cessat: deinde quia in eo mari Atuna, cati & alia piscium genera, que frequenter circa freta versari solent, inveniuntur. Ex quibus omnibus simul sumtis probabiliter colligi videtur, Americam alibi freti ab Asia dividi. Verùm, inquires, res expedita est; Fretum Anian dividitur Asia & America, uti ex Tabb. constat, consentientibus Grotio & Latio, qui illud Herculeo vel Magellanico non vult esse patentius. Verùm hoc fretum incertum, si non planè confictum videtur; Primò, quod illi, qui extrema Tataria cum cura lustrarunt, freti hujus non memierint, sed oceani & infularum in eo crebra apud eos mentio. Lustrarunt autem eam Nubienensis, Rubruquis & Venetus, qui videantur apud Horn. l. c. Deinde in situ hujus freti non conveniunt autores: quidam sub 50. latitudinis: quidam sub 60. illud collocant. Conf. Mercator in Tab. Asia: altera Janson. anno xxxii. Amstelodami edita. Ut taceamus Tabulas, regnum, à quo fretum dicitur, Anian modo in America, modo in Asia, ut videre est in Tab. istà figurà quadratà orbem exprimente supr. cit. collocare. Sanè America occidentaliora versus septentrionem litora vix lustrata fuisse facilè credet, cui notum, Nobiliss. Drakium anno Lxxix. superioris Seculi ob immensum frigus Novam Albionem, quæ sub 42. lat. B. est, ipso sextili mense deserere & vela dare retrorsum coactum fuisse. Hinc, cum omnia de hoc freti dubia, si non planè conficta, existimamus J. Hondium in tab. majori supra cit. & autorem Tab. Universalis in Atlant. Minore hoc fretum tantà amplitudine delineasse, ut rationem freti amisisse videatur: Licet verò latitudo freti præcisè definiri nequeat, quamlibet tamen angustiam maris, ubi paulò strictiori alveo fluit oceanus, fretum dici non posse ex usu loquendi ap. Geographos recepto constat: neq; enim facilè quis, illam oceani partem, quæ inter C. Bonæ spei & terram Magellanicam interfluit, fretum dixerit.

S. 30. Quæ cum ita sint, Purchasius Anglus Tom. III. Hispani, ait, fingunt fretum Anian, Cibolan, Quiviram ac amplissimas regiones versus Asiam extensas, ut ita omnem spem Anglis & aliis inveniendi fretum adimant. Καὶ τὰ ἄλλα δὴ τὰ ἴσα. Καρὶς θεῶ. συνῶνται τοῖς ἄλλοις ἀκόμα ἰσχυροῦς ἀντιῶντι.



Empire.

1. Germani an à Gallis oriundi? Aff. Bodin. Method. Hist. c. IX. Nos negamus.
2. An ap. Jerem. c. LI. 27. per יַסְוּן intelligantur Germani, uti nonnullis visum? N. Nobis intelligi videtur gens minoris Asiae.
3. Cum gente nostrâ Germanorum nomen non cepisse ex Tacit. de M. G. c. II. notum est. Tungri ob ferociam militarem hoc nomen primò indicant. quod postea toti hæsit genti.
4. Germanos à Persis oriundos affirmavit olim CL. Piccartus PP. Altorsinus, orat. de ortu & migratione veterum Germanorum editâ Anno cIo Io cXIX. Nos cum Tacito l. de M. G. c. I. eorum opinionibus accedimus, qui Germaniæ populos nullis aliarum nationum connubiis infectos, propriam & sinceram & tantum sui similem gentem existitisse affirmant.
5. Germania antiquos limites habet ab oriente Vistulam & Panonias: ab occidente Rhenum: à meridie Alpibus Rhaeticis, Vindeliciis, Julis & Carnicis, à septentrione mari Baltico clauditur, ait Thuanus princip. libr. II. Hist. Loqui autem videtur de Germaniæ veteris limitibus. Verùm hos limites neque veteri neque recentiori Germaniæ convenire ostendemus, si quis defensionem summi viri in se susceperit.
6. Undique Germaniæ tantum accessit, ut duplo hodie sit major, ait Magin. Geogr. volum. II. Nos negamus.
7. An Venedi & Wandali eadem gens? aliis hoc commentum placet, nobis non videtur verosimile.
8. An Góthi & Geta ejusdem sunt originis? Aff. CL. Boxh. Hist. Univ. Nos dubitamus.
9. Rutheni à Bodin. Method. Hist. c. IX. in Germaniæ populis numerantur; Malè. extra Germaniam sunt, neque Germanicæ originis.

10. *Nominis der Teutschen vix antiquior mentio exstat, quam Sec. VI. ann. XIII. in Synod. Turon. cujus verba citat Leibn. Chron. Spir. l. II. c. XLV. Lips. Cent. III. ad Belg. Epist. XLIV. Meminit autem lingua Teutisca, que opponitur rustica Romana. Unde accuratiores nobis videntur, qui linguam nobis vernaculam Teutiscã, quã qui Teutonicam vocant. Teutones autem Dani sunt.*

11. *Germanos adeo fuisse timidos, ut ad Alexandrum M. legationem miserint, ait Otto Frisingensis apud Irenic. Exegef. Germ. l. V. c. XLI. Duo hic notamus. i. Liquidum non esse, utrum Germani unquã legationem ad Alexandrum M. miserint. Locus enim ad quem procul dubio respexit Fruxinensis Episcopus ap. Arriam. item alter ap. Strabon. l. VII. Celtarum meminit. 2. Posito eos fuisse Germanos, qui legationem hanc ad Alexandrum miserunt, ex responsione Alexandro datã, frustra eos ignavia is simulari constat. Nihil enim, inquit, se metuere, nisi, ne forte coeli casu obruerentur.*

12. *Neque Nortgavienses Norici, neq. Thuringi sunt Tyrigetã.*

13. *Bajoarii & Boji utrum una & eadem gens. Aff. Aventin. Cluv. alii. Nos N.*

14. *An simpliciter verum sit, objectum coloratum eò rectius videri, quo mediũ est illuminatius? N.*

15. *An exhalationes à terrã, vapores verò ab aquã non nisi accidentaliter differant? N.*


16. *An per הַיָּם הַרְבִּי in Scripturis Sacris perpetuò mare rubrum aut sinus Arabicus intelligatur?*


17. *Inter signã & dodecatemoria, sive ad Eclipticã sive ad Zodiacũ referantur, maxima est differentia.*


18. *An bona hæc sit historie definitio: Historia est verarum gestarum narratio?*

19. *De essentia historie est, ut narretur: non verò ut sciatur.*

20. *An duplex, uti vulgo audit, Presbyter Johannes, alter Caimirus in Asiã, & alter Abyssinus in Africã?*







J653
A 337 d

